



## DECVRIONES CIVITATIS NOVARIAE

Consuevit nostra Ciuitas interdum ad memoriam reuocare, quantum cuique debeat, ut officio prouocata parem emetiatur benemerenti rem, aut saltem voluntatem. quod si non nunquam quadam fugiant illam, non est mirandum in tantis rerum occupationibus id accidere. sed quae sunt illustriora ea certe non obliuiscitur. hinc fit, cum non dubio multorum sermone cognouerit quam honorifice Vir amplissimus **FLAMINIUS PLATVS CARDINATIS** de ea semper, cum occasio oblata fuit, uerba fecerit, et quam alacriter ea susceperit sua sponte, quae ad ipsius ciuitatis dignitatem, et emolumentum pertinere, cognouerit, intellexeritque, ut eum munifica quadam, singularique beneuolentia complexa sit, cupiatque magnopere tale aliquid usu uenire, modo id sit cum eius dignitate coniunctum, in quo ea possit amorem suum erga talem uirum declarare. interea putauit illa se facturam operae pretium, si sua in eum egregiae uoluntatis aliquam daret significationem, decreuitque illa se ipsam ei donare, suaque iura eidem communicare, quod cum facit, intelligit nimirum, non tam se dare beneficiu quam accipere: neque tam decorare personam eius satis illam per se decoratam, quam ab ea se decorari, intelligit inquam quanto sibi sit ornamento inter suos alumnos se posse comparare uiros illos, quibus, quasi firmis columnis sacro sancta nititur ecclesia. Idcirco, ut nostra ciuitatis summa propensio non in ipsum modo, sed in eos quoque, quos ei natura arctissimo adstrinxit necessitudinis uinculo declaretur, hanc sui ipsius donationem, et iurium suorum communicationem, hoc perpetuo monumento designari uoluit, plura ex animo collatura, si posset. Ergo uirum illum amplissimum, et ornatissimum, nec non **HERONIMVM** fratris eius filium uita integritate, uirtuteque eius quam simillimum, et eius filios, quod ius de inde ad posteros quoque transeat, suos ciues creat, atque constituit, uultque eos is omnibus gaudere priuilegijs, quibus ij gaudent, atque fruuntur, quos ipsa et produxit, aluit, et suis legibus instituit. In quorum fidem diploma hoc per infrascriptum cancellarium fieri, et sigilli sui impressione muniri iussit. Dat. Nouariae die undecimo mensis Ianuarij **MD · CC · CIV.**

Io. Augustinus Daurelly not. et can. consilij ciuit. Nouariae



